



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

§. 7. De Angelis descendentibus. Quo probatur Virgini necessaria  
Mortificatio, agitur de ejusdem Apostasia & Quibus viis ad eam devolvatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)



„ & profectus quotidie deberet crescere, sed nūc pro  
 „ magno videtur, si quis primi fervoris partem possit  
 „ retinere. Examinet se quæque suoque se iudicio  
 „ dijudicet: si quæ se ream deprehenderit, & consilium  
 „ expetat ex eodem subnecto: „ Si modicam violen-  
 „ tiam faceremus in principio, tunc postea cuncta  
 „ possemus facere cum levitate & gaudio: patet id in  
 „ simili: infantes licet pedes habeant & crura, tamen ni-  
 „ si ducti progredi non possunt, assueti verò progres-  
 „ sui, paulatim, quamvis tardè, progrediuntur, ac tan-  
 „ dem currunt pro libitu. *Nemo repente fit summus,* *Serm. 1. de*  
*ascendendo non volando apprehenditur summitas Sca-* *S. Andrea.*  
*lae,* observat D. Bernardus. Infantes seu renatas vos  
 dixi ad vitam spiritualem in initio suscepti Status ve-  
 stri: si tum cum difficultate quadam proficiatis non  
 miror, at si progressum tentetis ut tenemini, per hanc  
 Scalam mysticam non ascendetis sed curretis. Legere  
 non potest tyro, necessarium ut primò literas discat  
 earumque copulas, tum distinctè & sine hæsitacione  
 recitabit quæcunque: inde exemplum desumite  
 quod imitemini: exercitium profectum & perfectio-  
 nem parit. *Quomodo enim sine exercitio doctrina aut* *Ex S. Am-*  
*sine usu profectus?* *brofiol. 1.*  
*de Off.*  
*c. 10.*

## §. VII.

*De Angelis Descendentibus.*

**E**Os *Ascendentes* vidimus, videbimus modò *De-*  
*scendentes:* & ut benè videamus, attendenda D.  
 Augustini annotatio, non visos decidentes, sed *de-*  
 „ *scendentes.* „ Non enim frustra non dictum est Ca- *In Titulū*  
 „ dentes sed *Descendentes:* multum autem interest *Pf. 119.*  
 inter



inter descendere & cadere, nam quia cecidit Adam, ideo descendit Christus: ille cecidit superbiâ, hic descendit misericordiâ. Adeoque ex eodem in benigniori hoc sensu exercitium mortificationis denotat hic descensus, quo in se & ad se anima descendit.

*Descende ut eleveris, noli extolli, ne elidaris,* monet

*In Ps. 41.* idem Hipponensis Præsul. Vides itaque ô Virgo Angelos descendentes? vides præambulones, quos subsequaris: Pædagogos vides, quorum instructionem exequaris: vides monitores, qui suo te descensu spirituales hunc descensum edoceant, quo in te descendas, vitia tua & imperfectiones consideres, easque amore perfectionis extirpes & eradices. Virgines multæ sunt, quæ suo se officio abundè satisfacere existimant, si Horas Deiparæ recitent, quotidie Sacros interfint, statutis diebus ad exomologesin & sacram synaxin accedant, aliâque exercitia observent: earum sollicitudinem laudo quidem, sed & amplius requiro, non enim hæc sufficiunt, sed & necessarium, ut amorem proprium elimines, quo plenum est cor tuum: ut sensualitatem supprimas, cui nimis pertinaciter adhæres: ut odium, invidiam, æmulationemque extirpes, quibus contra proximum flagras: ut murmurationes, obloquia, rixas, detractiones aliaque vitia linguæ devites, quibus obnoxia es: ad hæc Virgo descendat necesse est, quæ in hac Scala dignè ambulabit, eumque descensum à descendentibus Angelis addiscat: Schola namque est status Virginalis, ubi æquè descendenda vitia, ac addiscendæ virtutes: „ Sume igitur „  
 „ alas Virgo, sed spiritus, ut supervoles vitia, si con- „  
 „ tingere cupis Christum: monet proinde D. Am- „  
 „ brosius: Isque in Oratione funebri in obitu Valenti- „

*L. 1. de  
 Virgin.*

niani



niani Imperatoris omnium Ordinum testatus tristitiam de Virginibus scribit, quòd *sunt Lilia myrrha plena, candorem integritatis & mortificatæ corporalis illecebræ gloriam præferentes*: hæc tua gloria, si domina sis vel esse labores tuarum passionum, easque sub imperio teneas. Liliū es, sed ut sis myrrha plenum, ad id necessaria tui ipsius subactio & victoria, myrrha namque à corruptione præservat, à qua si & tu liberari desideres, hac mortificationis myrrha te condias necesse est. Sed quia ex D. Ambrosio Virgines Lilia diximus non ingratum suspicor Sanctum Augustinum fusiùs id declarantem audire cujus hæc sunt verba: „Potest Lili nomine unaquæque Virgo significari: Liliū siquidem flores reliquos candore nimitioris præcellit, & odoris nihilominùs jucunditate præpollet, unde satis congruè virgineo assimilatur decori: iste namque flos altiùs, à qua ortus est, tellure sustollitur, & reportandus ad æthera totus aperitur, à foris quoque nimis candidus, intùs verò rutilo flammescit aspectu, habens præterea quasi quendam permanentem in medio flosculum: sic nimirum Virginitas toto à visu ab infimis ascendens ad ea quæ superna sunt ambit: candescit exteriùs munditiâ Virgineæ carnis, flammescit interiùs amore geminæ charitatis: flagrat passim odore bonæ opinionis: extollitur ad sublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretiosum germinis Liliū, sicut sacra perhibet Lectio, inter spinas invenitur, ut noverint Venerandæ Virgines, & hominum se debere tolerare molestias inter quos degunt, & punitionum tentamina malignorum fortiter exsuperare spirituum, ut per hoc

Serm. 1. de  
Assumpt.  
Virg. Mariae.

Cant. 2: 21



hoc à Domino amicè inter filias vocari me-  
reantur. hæc ex Sancto Doctore. Nonne id ra-  
tioni consentaneum est? quo namque animo Sta-  
tum vestrum inchoastis? nonne, ex D. Paulo, ut co-  
gitaretis quæ Domini sunt, quò sanctæ essetis corpo-  
re & Spiritu? fuit alia vestra intentio? sinistra fuit:  
unde nec mirum si à mala arbore prodeant mali fru-  
ctus. Audite eundem Antistitem: „Non grande  
onus impositum est Virginibus, major amor im-  
fuit majus onus. Virgines, quod licebat, nolue-  
runt, ut plùs placerent ei, cui se devoverunt. Am-  
bierunt illam pulchritudinem cordis sui, tanquam  
Deo dicentes: quid jubes? ne adulteræ simus?  
plus facimus amando te, quàm jubes. Illæ ergo,  
quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos  
amplexus non desideraverunt, usque adeò accepta-  
verunt præceptum, ut non recusarent consilium:  
ut plùs placerent, plùs se ornaverunt. Ecce Virgi-  
nes hic scopus vester, hoc debet esse studium ve-  
strum, nempe placere Deo. Quæro autem an de-  
fectus & vitia tua, quorum mancipium es, Deo  
placeant an displiceant? placere si dixeris, tua te con-  
scientia convincet: sin autem displiceant, vides jam  
quantopere te astringat Vocatio tua, quò ea ex tee-  
vellas & ad ea evellenda in hac Scala descendas.

Ut autem hoc ampliùs capias, attende ad ordi-  
nem, quem Angeli in Scala teneant: *Vidit Angelos  
Dei ascendentes & descendentes per eam.* Vides non  
priùs descendentes sed ascendentes, & tum descen-  
dentes: anima namque gressibus sinceri amoris pur-  
rissimæque intentionis ascendens ad amplexus Do-  
mini Scalæ innixi, suas videns maculas quibus detur-  
para

1 Cor. 7:  
34.

Serm. 18.  
de verbis  
Apost.

Gen. 28:  
12.



pata est, suos defectus qui eam Sponsi præsentia indignam reddunt, suas imperfectiones quæ venustatem suam obscurant, suam à cœlesti Sponso dissimilitudinem quocum copulari affectat, tam multa quæ ei etiamnum displiceant, cui se placituram devoverat, quantocius descendit ut hæc tollat, expungat, abstergat. Assumit quidem ornamenta virtutum, sed quia hæc minorem gratiam conciliant nisi abstersæ sint animæ maculæ, quæ similitudinem cum Sponso obfuscant, suo nitore strenuè incumbit, quò respiciens D. Cyprianus hunc Statum eleganter vocat Dei Imaginem: *Dei Imago respondens ad sanctimoniam Domini*. Et S. Basilius: „Magnum revera quiddam ac præclarum Virginitas est, quæ, ut totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Ut similitudinem incorruptibilis Dei (paulò post subnectens) in se veluti in speculo mundissimo, ipso jam gratiis suis suavissimi radii in morem illi influente, speciem & laudem suam consequatur. Multæ sunt quæ se ab osculis & amplexibus divinis arceri sentiunt & lamentantur, at nesciunt suâ id culpâ fieri, quia in amplexus divinos non satis lotæ, sed fordibus imperfectionum obsitæ irruunt: amat ille Sponsus non solum ornatas virtutibus, sed & quæ sine maculis sunt & defectibus: interrogate vosipsas, an non ex hac scaturigine prodeat vestra cordis ariditas, & verum me dicere fatebimini.

Itaque Virgines Deo sacræ hunc spirituales descensum æquè necessarium atque utilem ab Angelis descenditibus addiscite, seu potiùs vestram ad eum obligationem in iisdem agnoscite: abstergite imper-

D

fectio-

De Hab.  
& Disc.  
Virg.  
L. de Vir-  
ginit.



fectionum maculas, evellite vitiorum zizania, si firmiter sint radicata, nec cedant ad primum tractum, eum iterate & continue, cedent constantiæ. Ascendite alacriter, sed & descendite humiliter: quæ ad amplexus cœlestis Sponsi invitamini, pudeat vestra

*L. de bono pudicitia.* vos culpâ ab iis arceri. Sit ut docuit S. Cyprianus *vestra Virginitas voluptatum triumphus.*

Sed ad Angelos Descendentes redeamus, &, qui suo descensu adumbrent secundò, contemplemur quod antequam fiat, necesse est, cujus sæpius nobis profuit instructio, ad D. Augustinum recurrere, & quæ ulterior mystici Descensus significatio ab eo exquirere: de quo consultus respondet, descendere idem esse ac decidere, adeoque hosce descendentes Angelos delineare eas, quæ non modò in virtutibus deficiunt, sed &, quod plerumque confectarium est ab ipso statu: ita namque hanc ipsam Visionem sanctus

*In Titulz Ps. 119.* Doctor interpretatur: qui cùm dixisset: „Possumus putare Ascendentes visos Proficientes,

(mox subnectit) Descendentes, Deficientes, quia & revera invenimus hoc in populo Dei, alii proficiunt alii deficiunt. Neque mirum eas Angelis significari cùm notum sit, & hosce è cœlis deciduos et

*Luc. 10: 18.* pulcherrimis Spiritibus factos teterrimos dæmones. Hic aliud non habeo quod dicam, quàm illud Apo-

*1 Cor. 10: 12.* stoli: *Qui se existimat stare, videat ne cadat: & ut bene provideatis, non inconsultum arbitror vobis exhibere, quid de Deciduis scripserunt Virginum Magistri: docent autem ii omnes, quos ego revidi, uno ore Virgini Deo consecratæ illicitum redire ad seculum, à Statu suo deficere, transire ad nuptias, è quibus S. Chrysostronus in illud Apostoli: Si nupsertis*

*1 Cor. 7: 28.*

Vir-



*Virgo, non peccavit:* „ Neque de ea, quæ sibi elegit  
 „ Virginitatem, loquitur, tum enim peccaverit: nam  
 „ si Viduæ, quæ secundis se nuptiis alligarunt, judi-  
 „ cium subeunt si semel viduitatem elegerint, multò  
 „ magis Virgines. Quas proinde *piaculum commissis-*  
 „ *se & quidem grande*, alibi denuntiat D. Hierony- *L. de Virg.*  
 „ mus: „ Illos dicit non peccare si nubant, qui non-  
 „ dum Deo voverint castitatem: cæterùm *qui vel* *Ibid.*  
 „ *in corde suo promisit*, si aliud fecerit, habet damna-  
 „ tionem, quia primam fidem irritam fecit. S. Ful- *Epist. I. ad*  
 „ gentius: „ Non peccet Virgo quæ nubit, invenitur *Gallam.*  
 „ aliqua Virgo peccare si nupserit: non enim pec- *c. 6.*  
 „ cat Virgo nubens, si Virginitatem Deo, priusquam  
 „ nuberet, in corde non vovit: cæterùm si, quem-  
 „ admodum dixit Apostolus, statuit in corde suo fir-  
 „ mus non habens necessitatem, potestatem autem  
 „ habens suæ voluntatis, & hoc iudicavit in corde  
 „ suo servare virginitatem suam, graviter postmo-  
 „ dum peccat, si post dicatam Virginitatem Deo vo-  
 „ luerit humano servire connubio: nam & Viduas  
 „ quasdam B. Paulus vinculo pronuntiavit damna-  
 „ tionis obstrictas, quia scil. post continentiaæ pro-  
 „ fessionem nubendi receptam non abjiciunt volun-  
 „ tatem, de quibus vitandis Timotheum sic instruit:  
 „ Adolescentiores autem Viduas evita, cùm enim  
 „ luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt haben-  
 „ tes damnationem, quia primam fidem irritam fe-  
 „ cerunt: adimit igitur concumbendi licentiam con-  
 „ tinentiaæ promissio, nec sola talibus fornicatio inter-  
 „ dicitur, sed etiam maritalis admixtio prohibetur,  
 „ & prævaricatricem voluntatem tenet culpabilis ne-  
 „ xus, etiam si nullus in opere consequatur effectus:



*Epist. 92.  
ad Rusti-  
cum.*

*c. 12.*

*c. 13.*

*c. 14.*

*L. de Bono  
Viduitatis  
c. 8.*

*c. 9. ibid.*

neque enim frustra scriptum est, quia concupiscen-  
tia cum conceperit parit peccatum. D. Leo : „ Ele-  
ctionem meliorum deseruisse transgressio est: Puel-  
læ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spon-  
taneo iudicio Virginitatis propositum atque habi-  
tum susceperunt, si postea nuptias eligunt, præva-  
ricantur etiamsi consecratio non accessit: ambigi-  
verò non potest crimen magnum admitti, ubi &  
propositum deseritur & consecratio violatur: nam  
si humana pacta non possunt impunè calcari, quid  
eis manebit qui corrumpunt fœdera divini Sacra-  
menti? S. Augustinus : „ Volo juniores nubere,  
filios procreare, matres familias esse, nullam occa-  
sionem dare adversario maledicti gratia, jam enim  
quædam conversæ sunt retro Satanam: ut his ver-  
bis ejus intelligamus eas, quas nubere voluit, me-  
lius posse continere quàm nubere, sed melius nu-  
bere quàm retro post Satanam ire, i. e. ab illo ex-  
cellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito  
in posteriora respiciendo cadere & interire: pro-  
inde quæ se non continent nubant antequam con-  
tinentiam profiteantur, antequam Deo voveant,  
quod nisi reddant jure damnantur. Alio quippe  
loco de talibus dicit: Cùm enim in deliciis egerint  
in Christo, nubere volunt habentes damnationem,  
quoniam primam fidem irritam fecerunt, i. e. vo-  
luntatem ad nuptias à proposito continentia de-  
flexerunt: irritam quippe fecerunt fidem, quâ  
priùs voverant quod perseverantiâ implere nolue-  
runt. Sed quoniam, sicut ait Dominus: non om-  
nes capiunt verbum hoc, quæ potest ergo capere ca-  
piat: quæ se non continet nubat, quæ non cepit  
deli-



,, deliberet, quæ aggressa est perseveret, nulla adver-  
 ,, sario detur occasio, nulla Christo subtrahatur obla-  
 ,, tio. In conjugali quippe vinculo si pudicitia con-  
 ,, servatur damnatio non timetur, sed in viduali &  
 ,, virginali continentia excellentia muneris amplioris  
 ,, expetitur, quâ expetitâ & electâ & voti debito ob-  
 ,, latâ jam non solum non capescere nuptias, sed  
 ,, etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est:  
 ,, nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: cùm  
 ,, in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed nubere  
 ,, volunt, habentes, inquit, damnationem, quoniam  
 ,, primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo,  
 ,, sed tamen volendo: non quia ipsæ nuptiæ vel ta-  
 ,, lium damnandæ judicantur, sed damnatur propo-  
 ,, siti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non  
 ,, susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono supe-  
 ,, riore: postremò damnantur tales non quia con-  
 ,, jugalem fidem posterius inierunt, sed quia conti-  
 ,, nentiæ primam fidem irritam fecerunt: quod ut  
 ,, breviter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere ha-  
 ,, bere damnationem quæ post amplioris sanctitatis  
 ,, propositum nubunt, non quia non damnentur,  
 ,, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur: sed  
 ,, cùm dixisset: nubere volunt, continuò addidit ha-  
 ,, bentes damnationem: & dixit quare: quoniam  
 ,, primam fidem irritam fecerunt, ut voluntatem quæ  
 ,, à proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive  
 ,, subsequantur nuptiæ sive desint.

Deo quippe seipsam obtulit in Sacrificium non  
 quodcunque sed Holocaustum, quod ex præscripto  
 legis totum Deo cedebat flammis abolendum, qua-  
 le est Virgo Deo consecrata, quamdiu est, igne di-



vini amoris debet ardere eique immori & absumi, est  
*Isai. 61. 8.* namque Deus odio habens rapinam in Holocausto,  
 Christo desponsata est, quo fundamento præcipue  
 innituntur SS. PP. ideoque alium Sponsum quærere  
 aut admittere nullatenus potest: mulieri enim si nu-  
 psit non permittitur primo marito superstite virum  
 alium accipere, cum autem Christus Virginum Spon-  
 sus nunquam moriatur, neque unquam licebit ei al-  
 teri se Sponso conjugare, cum is eam inter & se con-  
 tractum initum nunquam rescindat: ideoque unani-  
 miter excepto uno Augustino statuunt eas sacrilegii  
 ac gravissimi adulterii reas: Sacrilegii quidem, quod  
 rem Deo sacram eidem suffurentur ac aliis tradant:  
 Adulterii autem, quod, cum Deo copulatæ sint,  
 alienum virum admittant, adeoque verum esse non  
 posse matrimonium, sed *stupri scelus honesto conjugii*  
*nomine obtegere cupiunt*, ex D. Basilio: qui & addit:  
*L. de Vir-* Nec sanè video qua ratione, imò quo sacrilegio,  
*ginit.* ipsa pro immortalis viro Dei Filio mortalem homi-  
 nem in malum suum ambire præsumat ante viri  
 oculos in ipsum impuris & nequissimis semper am-  
 plexibus impia. Neque enim prolapsæ ad volupta-  
 tem quicquam ad excusationem proderit umbra  
 solatiumque conjugii, neque viventem virum sub  
 prætextu conjugii non soluta circumvenire aut fal-  
 lere poterit, qui mortalem hominem post eximios  
 illos, quos ab eo perceperat, honores impiè per ad-  
 ulterii nefas in honorem prætulit. Nec sanè in-  
 congruè his quæ sunt ejusmodi illud Apostolicum  
*1 Timoth.* aptari potest: quoniam cum fornicatæ à Christo  
*5: 11. &* fuerint, nubere volunt habentes damnationem,  
*12.* quoniam primam fidem irritam fecerunt, non con-  
 jugium



„jugium sed adulterium malè consummantes. „Virgi-  
 „nes tuæ, Joviniano objicit S. Hieronymus (quas L. 2. c. 19.  
 „prudentissimo consilio, quod nemo unquam lege-  
 „rat, nec audierat de Apostolo docuisti: melius est  
 „nubere quàm uri) occultos adulteros in apertos  
 „verterunt maritos: non suavit hoc Apostolus, non  
 „electionis Vas: Et si nupserit Virgo non peccavit: L. 1. ad-  
 „non illa Virgo, quæ semet Dei cultui dedicavit, ha- versus  
 „rum enim, si qua nupserit, habebit damnationem, Jovin.  
 „quia primam fidem irritam fecit: si autem hoc de c. 7.  
 „Viduis dictum objecerit, quantò magis de Virgi-  
 „nibus prævalebit, cùm etiam his non liceat, quod  
 „aliquando licuit: Virgines enim quæ post conse-  
 „crationem nupserint, non tam adulteræ sunt quàm  
 „incestæ. „Bonum quidem nuptias & ipse confi-  
 „teor, (Theodoro scribit D. Chrysostomus) hono- Epist: 6.  
 „rabiles (inquit) nuptiæ & cubile immaculatum,  
 „fornicatores autem & adulteros judicat Deus. Sed  
 „te jam servare non convenit privilegia nuptiarum:  
 „Angelorum enim societati semel junctum illam  
 „relinquere & uxorum laqueis implicari adulterii  
 „crimen incurrere est: quamvis frequenter hoc ip-  
 „sum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud  
 „tantò pejus affirmo, quantò major ac melior mor-  
 „talibus Angelus. Neque ullus tibi fortè persuaserit  
 „dicens: nihil de non accipienda uxore Dominus  
 „præcepit: nec me ignorare confiteor, quòd adul-  
 „terium interdixit, non nuptias vetuit: verùm in  
 „te adulterii nomen accipiet, si volueris unquam,  
 „quod absit, nuptias cogitare: & quid mirum, si  
 „nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio  
 „comparantur? S. Augustinus, ut antea mone-



L de Bo-  
no Viduit.  
c. 10.

bam, licet improbet hoc fundamentum, idem ta-  
men, quod ex eo alii PP. statuunt, approbat & urget:  
qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed po-  
tius adulteria, non mihi videntur satis acutè ac dili-  
genter considerare quid dicant: fallit eos quippe  
similitudo veritatis, quia enim conjugium Christi  
dicuntur eligere quæ Christiana sanctitate non nu-  
bunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si vi-  
ro suo vivo quæ alteri nubit, adultera est, sicut ip-  
se Dominus in Evangelio definivit, vivo ergo  
Christo, cui mors ultra non dominatur, quæ con-  
jugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera  
est. Qui hoc dicunt acutè quidem moventur, sed  
parum attendunt hanc argumentationem quanta-  
rerum sequatur absurditas: cum enim laudabiliter  
etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam  
fœmina Christo voveat, jam secundum istorum  
rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Chri-  
stum quod sentire nefas est adulterum faciat, cui  
vivente viro nubit: deinde cum primæ nuptiæ me-  
lioris sint meriti, &c. Fit autem per hanc minùs  
consideratam opinionem, quâ putant lapsarum  
à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non es-  
se conjugia non parvum malum, ut à maritis sepa-  
rentur uxores, quasi adulteræ sint non uxores, &  
cum volunt eas separatas reddere continentiæ fa-  
ciunt maritos earum adulteros veros, cum suis uxo-  
ribus vivis alteras duxerint. Quapropter non pos-  
sum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si  
nupserint, fœminas adulteria esse non conjugia, sed  
planè non dubitaverim dicere lapsus & ruinas à ca-  
stitate sanctiore, quæ vovetur Deo adulteriis esse pejo-  
res:



res: si enim quod nullo modo dubitandum est ad  
 offensionem Christi pertinet cùm membrum ejus  
 fidem non servat marito, quantò graviùs offendi-  
 tur, cùm illi ipsi non servatur fides in eo quod exi-  
 git oblatum, qui non exegerat offerendum? cùm  
 enim quisque non reddit quod non imperio com-  
 pulsus, sed consilio commotus vovit, tantò magis  
 fraudati voti auget iniquitatem, quantò minùs ha-  
 buit vovendi necessitatem. Hæc ideo disputo ne  
 arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, vel quas-  
 cunque nuptias, cùm sint nuptiæ, malum esse.  
 Non itaque illas abs te damnatas velis esse sed spre-  
 tas. Bonum ergo continentia vidualis luculentiùs  
 decet, cùm pro illo vovendo & profitendo possunt  
 continere foemina quod & libet & licet: sed post  
 voti professionem perseveranter frænandum &  
 vincendum est quod libet, quia jam non licet. Nec *De S. Vir-*  
 tantùm ait: nubunt, sed nubere volunt (idem *ginit. c. 34.*  
 alibi observat) multas enim earum revocat à nu-  
 bendo non amor præclari propositi, sed aperti de-  
 decoris timor, veniens & ipse à superbia, quâ for-  
 midatur magis hominibus displicere quàm Deo.  
 Hæc igitur, quæ nubere volunt, & ideo non nubunt  
 quia impunè non possunt, quæ meliùs nuberent  
 quàm urerentur, id est, quàm occultâ flammâ  
 concupiscentiæ in ipsâ concupiscentia vastarentur,  
 quas pœnitet professionis & piget confessionis, nisi  
 correctum cor dirigant & Dei timore rursus libidi-  
 nem vincant, in mortuis deputandæ sunt.

Unde cùm antea in hæc benigniores essent Ec-  
 clesiæ Proceres, utpote qui eas post annualem pœni-  
 tentiam in gratiam recipiebant, Epistola prima Ca-



Epist. 1.  
c. 22.

nonica ad Amphilochem Can. 18. eas ut Adulteras puniendas constituit D. Basilius, quarum Pœnitentia ut ex Can. 58. constat, quindecim annorum erat: quam & Gelasius Papa præscripsit jubens, non nisi post publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi negata interim sacra Communione. Gravior est censura Concilii Coloniensis, sub Carolo Crasso; cui Provinciæ nostra Trajectensis Diœcesis tum suberat, quod statuit iis non nisi in fine vitæ dandam Communionem, & tunc etiam subtrahendam, si libidini diu servierint.

Matth. 4:  
vers. 6.

Audite hæc quæ aliquando effutitis Kloppas vos esse quousque vultis, atque ex gravitate pœnæ perseverantiæ agnoscite necessitatem. Liberum vobis erat in Statu Virginali Deo vos desponsare vel non: at cùm id feceritis neutiquam vobis integrum resilire; vinculum illud perpetuum est, quod rumpere non licet: fatalis saltus est ex mystica hac Scala & ejus solummodo consilium, qui Virginum Sponso in pinaculo Templi constituto suggerebat: *Mitte te deorsum.*

p. 3. c. 10.  
q. 17.

L. de Virginit.

Cujus Emissarii sunt, quotquot ad sacrilegas nuptias Christi Sponsam pelliciunt: monent proinde Virginum Primates, ne eò audaciæ quisquam proficiat: „Quemadmodum quæ alteri nupta est, eam concupiscere omnino nefas est (argumentatur Catechista Romanus) sic quæ ad Dei cultum religionemque consecrata est, nullo pacto licet illam uxorem appetere. „Quare nullus servus ad id impietatis erumpat (denuntiat D. Basilius) ut Sponsam Domini contingere audeat: nullus adeo insanus ac sacrilegus sit, ut immaculatam hostiam impudicis

ma-



„manibus tractet : nemo in tantum audaciæ temeri-  
 „tatisque profiliat, ut ejusmodi ultionem sacrilegiis  
 „impendere considerans, non vasa inanima ex auri  
 „argentique materia elaborata, sed animata ipsa, &  
 „viva donaria latronis more profanis manibus teme-  
 „rare atque incestare præsumat : imò verò nullus  
 „adeo impius, atrox impurusque, ut non inanimata  
 „Templi vasa, sed ipsum Domini Templum, virgi-  
 „neum scil. corpus, ipsamque omnium prætiosissi-  
 „mam animam in Templo Deo sacratissimi donarii  
 „vice locatam libidinis facibus barbaricâ immanitate  
 „succendat. Quod cum quidam commisisset, eum  
 „idcirco gravi hac oratione alloquitur S. Ambrosius, *Ad Virg.*  
 „cum jam capitibus alioquot ipsam Virginem esset al- *laps. c. 9.*  
 „locutus : „De te autem fili Serpentis, minister  
 „Diaboli, violator Templi Dei, qui uno scelere duo  
 „crimina perpetrasti, adulterium utiq; & sacrilegium:  
 „sacrilegium planè, ubi vas Christo oblatum, Domi-  
 „no dedicatum, dementi temeritate polluisti: Baltha-  
 „sar ille Rex Persarum, qui in vasis Domini quæ de  
 „Templo Hierosolymis fuerant à patre ejus ablata,  
 „bibere cum suis amicis & concubinis usurpavit, ipsâ  
 „nocte Angeli manu percussus crudeli morte punitus *Dan. 5. c.*  
 „est : quid de te arbitraris perditæ pariter & perditor,  
 „qui vas rationabile, consecratum Christo, sancti-  
 „ficatum Spiritui Sancto impiè temerasti, polluisti  
 „sacrilegè ? melius enim fuerat omnino te non esse  
 „natum, quàm sic natum, ut te sibi gehenna filium  
 „vindicaret . . . Do consilium, petas ultrò carcerem  
 „pœnitentiæ, obstringas catenis viscera, animam  
 „tuam gemitibus jejuniisque discrucies, Sanctorum  
 „petas auxilium, jaceas sub pedibus Electorum, &c.  
 Ne-



Neque solus Ecclesiasticus, sed & Politicus Magistratus illicitis hisce connubiis sese opposuit ipsa rei indignitate commotus: cùm enim tempore Juliani *L. 6. Hist. Apostatæ ex Sozomeno cœpissent quidam sacras Vir-*  
*Escl. c. 3.* gines in conjuges petere, Jovinianus Imperator Christianus, successor Juliani, legem tulit, quæ extat in Codice. L. Si quis. de Episcopis & Clericis, ut capite plecteretur, qui ad conjugium sacram Virginem follicitare deprehensus fuisset:

Neque hujus peccatum excusat illius voluntas: *L. de Vir-*  
*ginit.* Verùm etsi sponte suâ (ex S. Basilio) se Virgo Sponsi fœdera transgressa substernat, cunctaque simul & templum & donaria & charitatem Sponsi, communionemque ac societatem Regni perniciosæ voluptatis gratiâ confundere atque calcare nitatur, noli tamen hujusmodi ad scelus uti, neque te peccati *Gen. 39. c.* communiōne commacules: nam & eximius ille Joseph Dominæ suæ amoris magnitudine ebriæ ac penè furiosæ seipsum ad impudicitiam minimè permisit. Quod si te renuente alii se Virgo in matrimonii consortium tradiderit, illa pœnas sceleris sui luat, tu teipsum mundum atque integrum serva, ne sceleris impij in Dominum particeps fias... itaque etsi illa pessima se mutatione dejiciat ad carnis vitia ultrò devoluta, tu tamen eam noli tangere, vivit enim Vir ejus, neque illam dimittere vult: permitte ut se inspiciat unde sit lapsa, ubinam jaecat, digerat vitium, diluat amorem carnis, confideret diligentius indulto spatio cujusmodi crimen admiserit, quantumque molita sit sceleris, redibit prorsus ad Sponsum suum... quid igitur infelicis anticipas lapsum? quid considerandi peccati



„catis tempus intercipis? quid consilii spatium tol-  
 „lis? cur non dimissam à Domino ducens non vi-  
 „rum te sed adulterum impiè Domini cubile violan-  
 „do manifestas? hæc & plura alia D. Basilius, è qui-  
 „bus quid de Virginum apostasia & nuptiis sentiant  
 Patres, licet colligere, qui tam acriter adhortantur  
 procos, ne non solùm eas sollicitent, sed, etsi ipsi so-  
 licitentur, ut rejiciant & repellant Nupturientes.

Nemo igitur licitas Virgini nuptias dixerit, nisi  
 quomodo licitum novum conjugium Maritatæ cum  
 altero Viro, aut huic cum Conjugata: „ Quo in nego-  
 „tio (exarat D. Ambrosius) etiam nos vocamur in  
 „culpam: quam tandem? quia nuptias prohibui-  
 „mus illicitas? vocent ergo in eandem culpam etiam  
 „Joannem Baptistam: & cùm aliud fortè nihil habea-  
 „mus quod probetur in nobis, hoc solùm contem-  
 „netur in nobis quod probatum est in Propheta. An  
 „erubescendum protulimus Autorem? quam verò  
 „causam aliam habuit ille martyrii? repetite ani-  
 „mo: causa illius passionis certè hæc fuit, non licet,  
 „inquit, tibi eam uxorem habere. Si hoc de uxore  
 „hominis, quantò magis de Virgine Deo consecra-  
 „ta? Si hoc dictum est Regi, quantò magis dicen-  
 „dum est privatis? Non hîc audiendî Hæretici,  
 „qui ex Apostolo perperam inculcant Lascivienti-  
 „bus solatia nuptiarum: *melius est nubere quàm uri:*  
 in primitiva namque Ecclesia erant multæ Virgi-  
 nes non perpetuæ, sed temporariæ: cùm enim  
 nollent aliis quàm Christianis nubere, & pauci ma-  
 riti Christiani pro numero Christianarum Virgi-  
 num essent, fiebat ut augetur etiam harum Virgi-  
 num in Ecclesia numerus, & his S. Paulus ait ut nu-  
 bant

L. 3. de  
 Virg.



*Hæres. 59.*  
*§ 61.*

*Tract. de*  
*Passione*  
*Domini*  
*c. 30.*

bant si se continere non possint, ut S. Epiphanius exponit: sed nihil de iis ad nos, qui non de coactis, sed voluntariis Virginibus agimus, quarum Encomiasten agens S. Bern. „ Felices Virgines & verè prudentes, inquit, quæ etiam præter commoda temporalia spiritui Domini jungi viciniùs elegerunt, spirituales fœtus, id est, bona opera multò meliùs, uberiùs & securiùs immortalis Sponso suo JESU, non singulis annorum spatiis, sed diebus singulis procreantes: amantes eum in cuius thalamum castissimum duce pudicitia intraverunt, vel quem potiùs in sui cordis thalamum receperunt: ejus vocem organicam in præceptis suis & promissis præmiorum cœlestium audierunt, & loquente Sponso suo sibi per obedientiam responderunt, cuius amor castimoniam, cuius tactus munditiam, cuius nuptiæ Virgines faciunt & conservant. O verè felices, quæ tali Viro non solùm animi, sed etiam corporis munditiam consecraverunt! cuius commercio sic in animo fœcundantur, ut omnium virtutum matres efficiantur, quarum filii in domo cœlesti æternaliter habitant, & semen operum ipsarum coram Sponso suo in seculum dirigitur.

*L. cit.*

Unum penè omiseram, fortè dicturum quempiam, allegata hætenus eas solùm concernere, quæ Virginitatis propositum voto stabilierunt, non eas quæ citra Vota hunc Statum inchoarunt, & in eodem hætenus vixerunt: audite de hac exceptione iterum S. Basilium: „ Sed enim vafræ istæ quid faciunt, quæ tantum impietatis contra seipsas per carnis flagitia admittere non timuerunt: non modò non lachrymantur aut ingemiscunt, ut vel lachrymis

remitt-



,, remittant peccatum suum mitioresque suscipiant  
 ,, pœnas, verùm Virginitatem quoque, quam antea  
 ,, professæ fuerant, abnegant. Quippe Virginitatis  
 ,, limites transgredi, ut voluptatibus inferviatu-  
 ,, pissimum esse plenumque dedecoris non ignoran-  
 ,, tes, hujusmodi negatione, majore scilicet scelere  
 ,, Virginitatem solari sese arbitrantur amissam: ho-  
 ,, mines miserè & infeliciter eligunt, sub quibus ad  
 ,, excusationem prævaricationis abnegent, quod fue-  
 ,, rant ante pollicitæ, nec Dominum metuunt, cum  
 ,, quo fœdera castitatis inierant, cuique dederant  
 ,, dextras, eò quòd in malorum profunda decide-  
 ,, rint: ignorant miseræ, quia apud Deum & apud  
 ,, homines contra se crimen exaggerant: cùm hi qui-  
 ,, dem ex præcedente cunctisque cognito Virginitatis  
 ,, instituto, quòd se illæ professas esse negant, vesa-  
 ,, niam summamque impudentiam avertentur atque  
 ,, oderint: Christus verò præter violata Virginitatis  
 ,, fœdera hujusmodi negationem, quam vice pœni-  
 ,, tentiæ patrocinium criminis sumunt, acriùs ac se-  
 ,, veriùs suo illo iudicio vindicet. Hæc ille præter *L. de Vir-*  
 ,, plura alia de eadem materia in Epistola ad Virginem *ginit.*  
 ,, lapsam, quæ simili se ratione excusare nitebatur:  
 ,, Audes pedem conferre & te quicquam cum vero  
 ,, Sponso pactam esse pernegare? nihilque neque  
 ,, promississe unquam, neque Virginem te esse, quæ  
 ,, signa tamen Virginitatis multa partim acceperis,  
 ,, partem edideris, clamitare? memineras obsecro  
 ,, egregiæ illius professionis, quam Deo & Angelis  
 ,, hominibusque ipsis intuentibus professâ es: memi-  
 ,, neris præclari cum sacro Virginum choro commer-  
 ,, cii, &c. Ipsâ namque Status inchoatione Deo te  
 con-



consecras, nec necessaria ad obligationem perseverantiae alia Vota: peto enim quæ tua fuerit intentio, quando seculari Habitu deposito Virginalem assumpsisti? quando provoluta ante Altare Deo te desponsasti? an ut ad seculum redire Sponsum alium aut quærereres aut acciperes? talem certè fuisse non suspicor: sed divino servitio te velle immori & vivere: quid alia Vota ad hoc necessaria, cùm Deus verba voventis non attendat, sed cor, cui etiam ipsi affectus loquuntur, & quidem soli, testis enim Augustinus, *non esse vocem ad aures Dei nisi animi affectum*, ideoq; Eusebius vocat Virgines *ἀειπὰς ἑνὸς*, i. e. semper Virgines. Itaque Descensum ex hac Scala cave te, Virgines, eum illicitum agnoscite, quomodo tot sacræ Virgines agnovere (quarum Festa celebratis) quæ sanguinem & vitam maluerunt profundere, quàm cedere detrahentibus. *Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquor?* ait Ambrosius, *quæ tanquam nobilia Vitulina pullulantes ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt: Virgo exultavit & rudentes bestias expectavit intrepida.* Angelos descendentes ne sequamini: scitis enim quò illi corruerint: in amplexus Sponsi terreni ne involeritis, sed properate ad Cœlestem, qui Scalæ innixus intra brachia sua vos præstolatur.

Denique antequam ab Angelis Descendentibus ad alia transeamus, non caret observatione, Angelos Descendentes non præcipitanter à Scala decidisse, sed pedetentim de gradu in gradum descendisse. *Quid inde colligitis? quæ vestra hîc consideratio? ego ut meum conceptum edisseram, in iisdem contemplor modum, quo è Scala hac Virgines Deficientes, de*

L. de Ca-  
techizand.  
Rudibus  
c. 11.  
L. 4. de  
Vita Con-  
stantin.  
c. 28.

in Ps. 104.



quibus superius actum, descendant & redeant ad abjuratas seculi vanitates & nuptias: raro namque precipitanter decidunt, sed ut plurimum pedetentim de gradu in gradum descendunt, usquequò gradum infimum attingentes in mundum revolvuntur, de quo ad vestram cautelam nunc tractandum, ut qui antea illicitum descensum ex hac Scala ostendi, nunc iis, quæ descendere nolunt, pericula manifestem.

Prima autem dispositio ad descensum est nausea exercitiorum spiritualium, eorum quæ Deum ejusque cultum concernunt: cujus testem habemus D. Bernardum: „ Neque verò existimandum est, cum  
 „ ruinæ alicujus cernuntur, tum incipere damnum,  
 „ sed quia comederunt alieni robur ejus & ignoravit.  
 Aquæ stagnantes in glaciem facilè concresecunt, non  
 item quæ fluunt & agitantur. Novistis defectum appetitus ordinarii esse prodromum morbi: quod experientia ostendit in corporibus, idem in animabus agnoscite: gravioris mali prognostica sunt, si his spiritualia non sapiant, si languidæ & præ languore progredi non valeant: talium descensum & apostasiam formidate: quæ quomodo adolescat audite.

Primò descenditur ad perfunctoriam suorum Exercitiorum recitationem atque observationem, de quo iterum Abbas Clarævallis: „ Invenire est  
 „ homines pusillanimes & remissos, deficientes sub  
 „ onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum  
 „ brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Non tibi horum  
 „ vita inferno penitus appropinquare videtur?

Secundò devolvitur ad eorumdem facilem omissionem:

E

nem:

*Serm. contra Vitium Ingratitudinis.*

*Osee 7: 9.*

*Serm. 6. de Ascens. Dom.*



nem : nunc recitatio Horarum , aliàs Rosarii , modò  
Meditatio negligitur , omittitur Sacrum , dies Gra-  
tiæ , Lectio spiritualis libri , aliaque quæ Regula  
præscribit. Quod quoties fit , toties descenditur , &  
cujuslibet omiffio unius gradus descensus est. Verum  
autem me dicere ipsa experientia edoctæ poterunt  
aliquæ testari : quò enim negligentiores vos habetis  
eò à Deo magis abalienamini , & quid hoc aliud est  
quàm in hac Scala descendere.

*Tertiò* ulteriùs progrediendo : primò sine scrupu-  
pulo committuntur peccata leviora , deinde ad gra-  
viora fit prolapsus : Scitis quid pueribus dicatur ,  
quid parentibus vel aliis furripiant licèt etiam minimè  
sit momenti , inde scilicet furta ad ampliora eos sum-  
pturos audaciam , à minori ad majora fieri descensum  
quod Virginibus dictum volo , quæ ubi præmeditata  
ad minora delicta descenderint , etiam sine scrupulo  
ad graviora aliquando descendunt : *Qui spernit modicum*  
*ca paulatim decidet* : de quo videatur Rodriguez. Cum  
que Patri spirituali debeat esse curæ profectus suarum  
Filiarum , si is ex vi obligationis suæ de descensu tales  
moneat & corripiat etiam acriùs secundùm meritum  
(non enim minor est obligatio Patris spiritualis , quàm  
corporalis , ne proles ad deteriora defleant , imò il-  
lius multò major quàm hujus , cum anima plus sit  
quàm corpus ipso Christo teste ) descenditur ulteriùs  
ad infideliter , non sincerè & candidè agendum cum  
ipso : displicet ipsius cura , imò & Status ipse ac Vo-  
catio , hæret jam in gradu ultimo pes instabilis : tur-  
demum præcipuè suas partes , quod & hæctenus , agit  
Diabolus : impura immittit phantasmata , carnale  
ingerit suggestiones , cum sexu dispari incautam sua-  
det

*Ecclest. 19.*

*Tract. 1.*

*e. 9. & 10.*

*Marc. 8.*

*37.*



det conversationem, oculorum sollicitam tollit custodiam, & ut in brachia viri carnalis involet Sponsa Christi, defilit ex hac Scala: adieu *Bloupe*: cui proinde applicari potest illud Jeremiæ in Threnis, *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*: nonne & Virgines nutriuntur in croceis, quas seipso quasi saginat in Sacramento Eucharistiæ Virginum Sponsus, quod Electorum frumentum dixit Zacharias? nutriuntur itaque Virgines, sed nutriuntur in croceis, dum eodem Sacramento quo nutriuntur etiam adornantur: habet ibi Anima quo vitam spiritus foveat: habet & ibidem, quo se divinæ gratiæ indumento vestiatur & ornet, quò fortè respexit D. Athanasius cùm ab eo diceretur Virginitas *Opulentia indeficiens*: quibus namque eæ divitiæ eaque opulentia, ut exhauriri non possit, sibi comparare possunt, quæ volunt in cibis, in indumentis & aliis: tales in spiritualibus Virgines: Virginitas *opulentia indeficiens*: non est hyperbole, sed ipsissima veritas, quomodo namque penuriam vel defectum pateretur, quæ omnium gratiarum fontem jugiter manantem per manum Sacerdotis collocatum habet in suo pectore? quæ si à spiritu quo incepit ad carnem devolvatur eaque consummetur, an non stercora amplexatur? *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*. Quid namque aliud est homo, non à morte solùm, sed & dum adhucdum in vivis est? & ut amplexari te stercora scires, quæcunque, dum ureris, non curas incendia extinguere, sed libidinis ignem amplius exsufflas, ideo ad copulam carnalem ea Deus instrumenta ordinavit, per quæ veluti canales è sterquilinio humani corporis fordes

c. 4. v. 5.

c. 9. v. 17.

L. de Virginit.

Gal. 3:3.

Thren. 4:5.



educuntur. Delicientur itaque in fimeto voluptatis, quæ carnis delicias præferunt deliciis spiritus: fruuntur amplexibus viri non semper blandientis, sed verberonis sæpius, rarò namque pacifica hæc conjugia, exempla ad probam minimè necessaria, cùm plura obvia sint, quibus non fatiffacit amplexus Sponsi cœlestis: maneat in terra, quæ per hæc Scalas ad cœlum ascendere noluerint.

Ad vos redeo quæ in hisce Scalis constitutæ ascensum cogitatis non descensum, & redux quid aliud dicam vel inculcabo quàm ut ab iis vobis caveatis per quæ fit descensus. Primò itaque tanquam fundamentum profectus vestri maneat in vobis constans desiderium Deo Indies ampliùs & ampliùs deservienti, quod ut initium fuit, cùm Statum vestrum inchoaretis, sit etiam in eodem jam arrepto continuus stimulus & calcar ad profectum. Secundò à Superiore præscripta exercitia non solùm cum attentione debita suo tempore persolvite, sed & studiosè cavete, ne eadem quandoque otiosè omittatis, intendit foris cedere qui rebus suis non sollicitè advigilat, qui non prudenter ambulat, de casu periclitatur. Vestes novæ servantur mundæ, sed ubi sordidatæ fuerint, exigua aut nulla pro iis cura habetur: & quare, nisi quia brevi deponentur? ideoque nec resarciuntur, imò neglectæ sæpiùs neque resarciri possunt. Estote insuper providæ semper & circumspectæ, nec minima contempnite, quia parva sunt: novistis periculosos sæpè contingere casus, ubi vel in uno etiam erratu gradu.

*Serm. de Castitate.* Denique Virginitatem vestram illibatam servate: habeat locum in vobis exclamatio D. Ephremi. O Castitas quæ Rosæ instar in medio animæ & cor-



„poris flores, universamque domum odoris fragrantiam replet! expellat hæc phantasmatum & cogitationum libidinosarum foetores: & ne intrent, fenestras oculorum occludite: quos malè custoditos morituræ Virginitatis principia scripsit D. Hieronymus: disparem fugite sexum: quæ detrahi non vult fugiat detrahentes: ab hisce ascendat quæ descendere non vult: *aliàs rectius fuerat homini* (addit D. Hieronymus) *subiisse Conjugium, ambulasse per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.* *Epist. 22.*

## §. VIII.

*De Jacob evigilante visâ hac Scalâ.*

**T**Ria hîc nobis consideranda offeruntur: Primò quid delineet Jacob dormiens: Secundò quid evigilans: Tertiò quòd visâ Scalâ expergiscatur: ad intellectum tertii duo priora viam pandunt: est enim ex sensu Sacræ Scripturæ inter alias, quas ei tribuit, Somni significatio eadem cum negligentia & tepiditate in obsequio divino ac animæ curâ, quo sensu loquitur Apostolus ad Romanos eos à torpore ad curam salutis exstimulans: *Hora est jam nos de somno surgere.* Et I Cor. II. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi:* ex eo scilicet defectu, quod ad sacram Synaxin sine debita præparatione accederent. Quomodo de hoc somno etiam loquitur Augustinus: „Cavere debemus, ne anima nostra dormiat, malus est enim somnus animæ: bonus est somnus corporis quo reparatur valetudo corporis: somnus autem animæ est oblivisci Deum suum, quæcunque anima fuerit